



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

Pars Quarta Fructus bonæ Voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

## P A R S Q U A R T A.

Fructus bonæ Voluntatis.

## S E C T I O P R I M A.

Primus conformatæ cum Divina  
voluntatis fructus,*Gloria Dei.*I.  
*Enolumen-  
ta bona vo-  
luntatis.*

**P**RÆSTRUCTIS ternis con-  
formandæ humanæ volun-  
tatis cum divina funda-  
mentis : explicatis actibus tribus, quos  
divinæ debet voluntati humana : ternis  
item ad illos facilius ac procliviùs produ-  
cendos adjumentis monstratis : superest,  
ut ad fastigium ædificio imponendum  
fructus ternos, ex eo exercitio orituros,  
exponamus. Angeli Christo nascente  
concinuere, *Gloria in excelsis Deo, & in  
terra pax hominibus bonæ voluntatis*, id est,  
ut quidam explicant, *Pax hominibus,*  
quibus

quibus benè vult Deus. Alii eos intelligunt homines bonæ voluntatis, qui bonam in se habent voluntatem, & conjunctam cum omnium voluntatum optima: neque enim bona esse voluntas potest, nisi divinæ hæreat. Qui sic sunt comparati, ut exemplo Christi nascentis velint quod Deus vult, dant Deo gloriam, quanta hîc dari potest. Sibi pacem comparant, id est abundantiam bonorum spiritualium, quam pacis nomine apud Hebræos significari solitam, notum est, & nos alibi dicemus. Tranquillitatem denique internam & quietem animi possident, quanta usquam in hac mortalitate obtineri potest.

II. *Gloria Dei duplex.* Duplex Gloria Dei est: una naturæ ejus insita, & coæva: altera extrinsecus & cum temporum fluxu adveniens: sive, ut modò loquimur, Essentialis una, & interior: Accidentaliter altera, & exterior. Essentialis & interior est, quam Deus dat ipse sibi, sese intimè ac perfectè cognoscendo, & tanti faciendo, quanti est; estque hæc gloria

gloria æqualis ejus merito, quia infinitus infinitum comprehendit, claramque habet sui cum laude amoræve notitiam. Accidentalis & exterior est, quæ Deo à creaturis intelligibilibus defertur, cum Deum cognoscunt, cognitumque honorant, actibus vel internis tantum, vel etiam externis. Nihil autem per istam extrinsecus advenientem gloriam Deo accedere, manifestum est: cum ante creationem intelligibilium mentium, æquè ac modò, magnitudinis omnis summæque gloriæ compos fuerit. Cognoscebatur enim ab intellectu infinito, & amabatur ab infinita voluntate, id est à seipso: cui cognitioni & dilectioni quidquid addatur, nihil tamen addetur, quia finitum additum infinito non facit majus. Et hac sententia intelligendum istud Psalmi 15. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Deus ideò verè Dominus est, quia sibi sufficit solus, re nulla indiget extra se, ἀὐταρξὺς & seipso contentus.

III. *Vult Deus gloriam.* Gloriam nihilominus sibi à nobis dari vult, non quia indiget, sed quia nequit non exigere, postquam nos creavit. Itaque per Isaiam, cap. 42. denuntiat, *Gloriam meam alteri non dabo.* Et Vates Regius, divinæ voluntatis conscius, monet Psalmo 28. & 95. ut afferamus Domino gloriam & honorem, afferamus Domino gloriam nomini ejus. Angeli denique, præcones & choraule Dominici, canunt, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ubi audis gloriam Deo tamquam propriam assignari, pacem hominibus proponi: quemadmodum piè notat Bernardus, additque homines, qui, pace non contenti, gloriam Deo debitam invadunt, & pacem perdere & gloriam. Quod autem diximus, Deum non posse ab hominibus gloriæ tributum non exigere: causa hæc est. Quisquis ex ratione agit, propter finem aliquem operetur, necesse est. Finis autem ultimus propter quem agit, debet operante esse nobilior, vel æquè nobilis: quia laborare alicui, sive ejus

gratiâ nemo potest, quin eâdem operâ se-  
 se illi aliquo modo submittat. In quo-  
 tidianis actionibus id facilè notatu est:  
 quando ita hominis alicujus causâ agi-  
 mus, ut in ejus obsequio tanquam fine de  
 se primario, extrinsecùs saltem ita se ha-  
 bente, sistatur. Moses ovibus soceri sui  
 Jethronis curandis præest: cùm id causâ  
 soceri faciat, ei se hoc pacto subjicit.  
 Josephus ad domesticas res Putipharis,  
 in ejus gratiam & obsequium, attendit:  
 adeoque hac ratione Putiphari fatetur se  
 subesse. Ruth, alendæ socrui, spicilegium  
 facit, eique, id faciendo, submissionem  
 profitetur. Deus, qui cum summus sit in-  
 tellectus intelligentissimè agit, in rebus  
 creatis producendis, conservandis, con-  
 cursu suo ad operationem admovendis:  
 finem aliquem ultimum spectare debet,  
 non alium utique, quàm seipsum, quia  
 nihil illi æquale est, cui se submittere pos-  
 sit, ejus gratiâ velut ultimi finis laborando.  
*Omnia ergo propter semetipsum, id est ad  
 gloriam suam, neque enim ad commo-  
 dum vel ad voluptatem, operatus est Domi-*

nus, Proverb. cap. 16. *Et gentes creavit in laudem, & nomen, & gloriam suam,* Deuteron. cap. 26. Unde necessariò conficitur, Deum debitæ sibi ab hominibus gloriæ renuntiare non posse: nisi, quod fieri nequit. finem ipse suum assequi non vult, ac destituit.

IV, *Dei glorificatio qualis?* Id nunc agimus, ut demonstramus, à mortalium nemine tributum istud meliùs exsolvi, quàm qui voluntatem suam divinæ in rebus omnibus studeat conjungere. Geminus enim modus est gloriæ Deo tribuendæ, ut vel ipse Deum laudes, vel aliis materiam laudandi de te præbeas: id est scholasticis verbis, ut vel *Efficienter*, vel *Objectivè* glorifices. Hoc solùm modo inanima, & rationis expertia, Deum laudant, intelligentibus creaturis argumenta laudum subministrando: ideoque in Psalmis ad eum benedicendum invitantur. Rationis autem compotes creaturæ utroque modo summi opificis honorem amplificare debent. *Videant*, inquit Christus discipulis suis Matth. cap. 5. *opera vestra*

*bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in  
celis est.* Et D. Petrus epistolæ 1. cap. 2.  
hortatur Christianos ad virtutum exerci-  
tationem, ut Infideles, ex bonis operibus  
eos considerantes, glorificent Deum. En  
laudandi rationem objectivam. Efficien-  
ter glorificamus, vel internis actibus ado-  
rationis, submissionis, donationis: vel ex-  
ternis, voce aut gestu formatis, quò præ-  
sertim pertinent cantus sacri & cæremoni-  
æ Ecclesiasticæ.

V. Externa glorificatio vim om-  
*Sita in con-* nem ac pretium sumit ab inter-  
*junctione* na. Frustra enim lingua lau-  
*cum volun-* dat, si mens non commendat.  
*tate Dei.* Itaque de illa hîc non agimus, cùm à malis  
peræquè adhiberi possit, quàm à bonis.  
Confitetur enim Deo impius, cùm bene-  
fecerit ei. At bonus Deum laudat,  
quidquid ei evenerit: laudat, inquam,  
voce interdum, semper corde, vocalissi-  
mo & suavissimo glorificationis divinæ  
instrumento. Cor enim ipsius rectum  
est cum corde Dei: vult fieri, quod Deus  
facit: fieri non vult, quod non facit Deus.

Atqui



Atqui constat, quidquid Deus facit, ab eo ad suam gloriam referri. Esse igitur nequit, quin Dei gloriam velit, qui vult quod vult Deus. Amplius dico, non gloriam Dei solùm spectari ab ejus mentis homine, sed etiam majorem gloriam. Dubitare enim non possum, quin Deus non gloriã modò suã, verùm & majorem gloriam intueatur in agendo: ejusque minùs studiosus non sit, quàm Sanctorum multi, quibus non honor Dei qualiscumque, sed summus semper ac perfectissimus pro fine propositus fuit. Ille respexere Divi Augustinus & Thomas, cum dixerunt, optimum semper in omnibus à Deo fieri, ut partis 1. sect. 2. ad calcem adduximus. Idem, opinor, intuebatur, & expenderat, Henricus Suso apud Blossium in dictis Patrum, cum pro virtutis consummatæ stabilissimo fundamento posuit: *Vitam eminentem, quã Deus maxime glorificaretur, non in eo positam, ut quis affluat sensis divinis, & solatiis, sed ut evenire velit omnia, sicut à Deo eveniunt, & voluntatem suam in quibuslibet rebus divina submittat.*

VI.  
*Velis esse,  
 quod es.*

Quare ubicumque tandem te posuerit, qualemcumque te fecerit, quo te cunq̄ue officio donarit, esto contentus. Si enim contentus non es, jam tibi satis non est, quod Deo satis est, qui tamen omnia ad gloriam suam refert, cum propter se necessariò laboret. Potuit tibi Deus ingenium dare per omnes scientias agile, quale D. Augustino: sacrarum literarum intelligentiam, qualem D. Hieronymo: claritatem Angelicam, qualem D. Thomæ Aquinati: melleam & lacteam suavitatem, qualem Divis. Ambrosio & Bernardo: linguam eruditam, ut posses solari eos qui contracti sunt corde, qualem D. Chrysostomo. Non dedit tibi, quia dare noluit, & noluit intuitu gloriæ suæ majoris, quàm in rebus singulis spectat: velis & tu istud, & voles majorem Dei gloriam. Potuerat tibi eximium zelum animarum inspirasse: ut maria enavigares, solitudines emetireris, salutem humanam procurandam; & illuc piscator hominum fieres, hinc venator, Apostolorum, Apostolicorum-  
 que

que hominum exemplo. Potuerat illustres generosa nobilitate parentes destinasse: ut in excelso loco virtutes tuæ illustrius emicarent. Potuerat mentem scientiis civilibus implēsse, sagacitate acuisse, iudicio firmāsse, moribus perpolisse: ut intelligentia esses urbium ac provinciarum, & Reges ac regna regeres. Potuerat opes in sinum tuum congeffisse, quantas largissima caritas in egenos nunquam exhauriret. Potuerat tibi corpus efformasse laborum, vigiliarum, jejuniorum, dolorum tam patiens: ut Eliæ, Antonio, Hilarioni, Romualdo par, infligendis tibi ultrò suppliciis, incederes. Noluit istorum quidquam: rudem te fecit, & ignobilem, & pauperem, & infirmum: fecit, quia voluit: voluit, quia ad gloriam suam conducebat, neque enim aliter velle potest. Velis igitur esse quod es, & quod Deus vult, eaque ratione voles ejus gloriam: sin minus, tantum ab ejus gloria aberras, quantum ab ejus voluntate, etsi tibi de fine bono blandiaris. Eliciet quidem Dei sapientia ex ipsis erroribus

roribus tuis gloriæ suæ fructum, sed tu illum non produxeris: pro ducturus tamen, si is esse maluisses, quem te destinârat, quàm quem te fingebas.

VII. *Ita Beati agunt.* Inter Beatos Angelos & homines magna est, quemadmodum meritorum, ita & graduum ac beatitudinis inæqualitas. Summus Seraphinorum longè perfectiùs Deum cognoscit & amat, adeoque & perfectiùs laudat, quàm ejusdem ordinis medius: & hic perfectiùs infimo, ac sic deinceps. In hac varietate non tantùm nulla est invidia, quia unum volunt, unum nolunt, unitas est mentium: sed neque ullum est desiderium, alio gradu aut ratione Deum glorificandi, quàm singuli locis suis faciant. Incidat fortè hæc cogitatio: nonne si in altiori sim beatitudinis dignitate, in clariori lumine, plus Deum laudem, quàm nunc? Illicò sibimet responderit Beatus: Deus hîc me esse voluit: vult autem Deus gloriam suam: ergo ex ejus gloria est, sic me esse. Eâdem cogitatione Beatus non modò nollet esse major, sed neque

que vellet peccata sua nesciri, erroresque, quorum causâ amplior ipsi merces donata non est: quia ex eorum notitia Dei misericordis honor existit. Ut jam mirum non sit, Angelis perinde esse, quid in Universi rerûve singularium gubernatione agant, dum id agant, quod Deus vult. Tanti est Custodi genio infantis pauperuli curam gerere, quanti cælum inexplicabili pernecitate rotare, exercitus ducere aut fundere, populis & imperiis custodiendis præesse. Cùm enim unam Dei gloriam spectent, eamque in Dei voluntate sitam esse sciant, nîl aliud velle debent, quàm Deus velit.

VIII. Si ea consideratio nimis ad *Sacrificium voluntatis.* Theologiam mysticam videtur pertinere, & altioris esse indaginis: familiarem magis & obviam suggero. Ille Deum maximè glorificat, qui nobilissimum ipsi offert sacrificiorum omnium. Nîl autem est in homine nobilius voluntate, nîl altius, nîl liberius, nîl vastum magis & capax. Domina est facultatum omnium, eique intellectus ipse,

ipse, nedum potentia alia, anteambulo-  
 nis instar facem praelucentis, famulatur.  
 Sui autem ipsa juris est, nec cogi ab ullo  
 potest: vi quantavis externa flecti, oppri-  
 mive nescit; solis cedit suavibus invita-  
 mentis, & rapi se finit, quia gaudet.  
 Denique immensi sinus est, & inexpleti,  
 semperque ac semper nova desiderat, do-  
 nec infinito satiatur: omnino enim vult  
 infinitum bonum, idque amat, & ejus ca-  
 pax est. Intelligentia vim mirabatur  
 Gregorius Nyssenus, quod momento uno  
 in caelos e terris subvolet, & immensa  
 spatia cogitatione unica emetiatur ac  
 complectatur. Plus tamen longe licet vo-  
 luntati, quam intelligentia: & multo ali-  
 ter appetere ac desiderare possumus,  
 quam perspicere. Etsi enim voluntas  
 non fertur in incognitum, non ante tamen  
 necesse est perfecte rem intelligi, com-  
 prehendere, quam perfecte desideretur,  
 sufficitque, ad hoc, ut vel tenuiter & ex  
 umbra appareat. Itaque non in eo solum  
 voluntas intelligentia antecellit, quod  
 hera est ac regina, & sui in agendo arbitrii,  
 sed

sed etiam quod agendo longiùs sese, latiusque, potest extendere.

IX. *Nobilissimum omnium.* Versa te in quamcumque partem, & perpende, quid Deo sacrifices; quid hostiæ Eucharisticæ, aut holocausti loco, deferas. Pecuniam, aliaque extra te quælibet, frustra obtuleris, si tui ipsius nihil addideris. Neque enim tua petit Deus, sed te. Offer sanè illi linguam tuam, ejus majestatem prædicando; oculos, mirabilia ejus legendo ac spectando; aures, de ipsius laudibus audiendo; intelligentiam, arcana divinitatis contemplando: sed ante omnia cedò voluntatem, sine qua sacrificium perfectum non est. Ita Paullus, ad Hebr. cap. 10. *Christum inducit loquentem: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata, & pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Nullum holocaustoma suavioris est odoris Domino, quàm immolatio propriæ voluntatis. Nihil gratius,*

tius, inquit Augustinus in Psalmum 131. Deo possumus efferre, quàm ut dicamus, quod dicitur in Isaia, Posside nos, & nobis utere velut re tua, in omnibus. Isaïas c. 62 mentem justi pingens sub civitatis Hierosolymitanæ imagine: *Vocabitur*, inquit, *tibi nomen novum, quod os Domini nominabit, & eris corona gloria in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata: sed vocaberis, Voluntas mea in ea.* Appelletur passim nobilissima illa civitas, *Ierusalem*, id est, *Visio pacis*: indigetetur à Baruc cap, 5. *Pax justitia, & honor pietatis*: nomen ejus sit apud Ezechielem cap. ult. *Dominus ibidem*: vocetur à Zacharia cap. 8. *civitas veritatis*: Altissimum inter omnia & excellentissimum civitatis Dei, & Christianæ mentis, elogium est, *Voluntas Dei in ea*. Heroibus nostris & Heroïnis Christianis, ex admiratione virtutum varios titulos fecit pia posteritas. Theologos vocamus, Nectareos, Eleëmofynarios, Seraphicos, Angelicos, Malleos hæreticorum, Magnos, Magi-



Magistros orbis. Doctores gentium, Dilectos discipulos, Amicos sponsi, Columnas fidei, Petras Ecclesiæ, Viros secundum cor Dei, Patres fidelium, Homines justos atque perfectos in Scripturis legimus. Congerantur licet in unum nomina id genus omnia, præ cunctis hoc erit, *Voluntas Dei in ea*. Prorsus ut de homine sic comparato Deus gloriatur, velut de corona gloriæ, aut diademate regni.

X.  
*Admirati-  
oni est  
patiens.* Neque enim homo ejusmodi in se solum, & efficienter Deum laudat, sed etiã in aliis seu objective, ipsos virtutis suæ contemplatione & admiratione ad Dei laudẽ excitãdo. Eccli.c.45. Siracides de vestimentis Pontificiis Aaronis loquens, *Sic pulchra, inquit, ante ipsum talia non fuerunt usque ad originem*, ita ut mererentur nominari, *desideria oculorum ornata*. In illis maximè notandum, quòd vice fimbriarum circumpenderent tintinnabula trecenta sexaginta sex, ad numerum dierum anni unius. Factum id primùm, ut Summus Sacerdos, aliique per  
ipsum

ipsum monerentur, Deum non solum singulis anni tempestatibus, mensibusve, aut hebdomadis, sed etiam diebus omnibus, esse laudandum. Deinde, ut ad tot tintinnabulorum sonitum excitatus populus, Summum Sacerdotem in templum ingredientem spectaret: ipse interim, omnibus in se intentis, in unum Deum intenderet, eoque sine appensum in fronte super oculos gestaret tetragrammaton nomen. Ita cum illo agitur, qui quotidianum voluntatis suæ holocaustum, in templo divinæ gloriæ, summo Numini immolatum venit. Huc versus oculos & admirationem cuncti conjiciunt, ut spectent hominem æquali vultu, ex Dei arbitrio, bona malæque fortunæ eventa excipientem, &, quacumque incedat, in unam Dei voluntatem defixum. *Ita affecti sumus*, inquit Seneca libro de Consolat. ad Helviam, *ut nihil apud nos æquè magnam admirationem occupet, quàm homo fortiter miser: quantò magis apud nos, homo Christianè miser?*

Nec

XI.

Et exem-  
plo.

Nec sterili solummodò admirationi est, sed etiam incitamento ad virtutem. Unde putas mundus ita repentè ad Christianam legem, naturæ difficilem, intelligentiæ arduam, superbiam despiciabilem, inolitæ populorum consuetudini contrariam, vitiis inter mores imò & inter numina repositis inimicam, conversus est? Patientia Apostolorum plus potuit, quàm vel miracula, vel verba: *ibant enim gaudentes à conspectu concilii, quia digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliampati.* Post ætatem Apostolorum Martyres & Doctores florere: utrisque incrementum suum debet Ecclesia, plus tamen illis, quàm istis. Spectabantur ab Infidelibus pueri & puellæ, supra sexum & ætatem fortes, calcatis voluptatibus, irrisis minis, in tormenta & mortem involantes, & caducis omnibus altiores. Attonitis ad spectaculi novitatem succurrebat cogitatio, Deum quem Martyres colerent, præ quo vitam contemnerent, quem inter ipsa tormenta laudarent, magnum omninò esse & amabilem.

bilem.

bilem. Inde, ut Tertullianus loquitur in Apologetico, *Semen erat sanguis Christianorum*: aut, ut ex Tertulliano Hieronymus transtulit, *Sanguis Martyrum, semen Christianorum*. Stobæo narrante, soliti Persæ in jus à Rege vocati, & ejus jussu flagellati, gratias agere, quòd sui meminisset. Ecquis ad istud spectaculi non dicat: En subditos mirandi in Regem suum affectus, aut reverentiæ: læsi non tantùm non queruntur, sed etiam gratias agunt? Contemplare Tobiam, non contristatum, quòd plaga cæcitatatis e-  
 nerit ei, sed gratias agentem omnibus diebus vitæ suæ: audi Laurentium de se dicentem, *Ad ignem applicatus te Dominum IESVM confessus sum, assatus gratias ago*: quid de servis illis, à Domino percussis, & Dominum laudantibus, censebis?

XII.  
*Nobis ipsis.*

Ex nobis ipsis æstimemus, quàm verum sit illud Divi Leonis: *Ad erudiendum populum Christianum nulla est aptior forma, id est, non est potentius quidquam, Martyrum eloquentiâ.* A dea-

mus

mus cum Episcopis Palladio, Dioscoro, Evagrio, octogenarium anachoretam, post sanatos aliorum morbos omnigenos, hydrope insanabili tumidum, & inter agritudinis molestias lætiores, quàm aliàs unquam. Introspeciamus in alio tuguriolo anachoretam Stephanum, inter chirurgi manus, putria membra resecantis, ab opere storearum texendarum non cessantem, & gementibus, atque horrentibus cæteris, dicentem: Filii, quidquid Deus facit, ad bonum finem facit, sit benedictus. Ecquis nostrum à tali spectaculo non redeat animosior, & divinæ voluntati conjunctior, iteretque centies, Deus sit ubique & in omnibus benedictus? Ecquisnam, si quid Christianum ac divinum sapit, non lubens iter benè longum ementiatur, ut ejusmodi spectaculo pascat animum, & supra metus ac dolores erigat?

XIII.  
Deo jucundum spectaculum.

Præsertim cum Deus ipse amet ac gaudeat illud contemplari, & veluti gloriæ suæ favens, sibi inde applaudat. *Quàm pulcrum,* inquit,

inquit Minutius Fælix in Octavio, *ſpectaculum Deo!* Cùm Chriſtianus cum dolore congregitur: cùm adverſus minas, & ſupplia, & tormenta componitur: cùm ſtrepitum mortis, & horrorem carnificis irridens, *inſultat: cùm libertatem ſuam adverſus Reges & Principes erigit, ſoli Deo, cujus eſt, cedit.* D. Stephanus, *operarius victoriæ Dei,* ut Tertullianus de Jobo loquitur, *Corona Dei, & à Deo coronandus, cùm eſſet agni inſtar inter lupos, intendens in cælum vidit gloriam Dei: nîl aliud inter patendum ſcilicet intuebatur, quàm quod vidit.* In eo tota ipſius mens defixa erat, ut honor Domini creſceret, quibuſvis honoris ſui ac vitæ diſpendiis. Et ecce tibi JESUM ſtantem à dextris virtutis Dei: ſtantem, inquam, non auxilii tantùm, patrocinii, aut honoris cauſâ: ſed etiam, ut eò pleniùs, & commodiùs, jucundo ſibi ſpectaculo fruatur, famuli ſui cum doloribus & morte congregientis. Solemus enim ad magna & repentina ſpectacula, ut ea meliùs oculis capiamus, exſurgere. Nec ſoli Stephano id contigiffe, verùm & Mar-

& Martyribus aliis, ait Cyprianus, epistolâ ad Martyres & Confessores: *Vidit admirans præsentium multitudo cæleste certamen... O quale illud fuit spectaculum Domino, quàm sublime, quàm magnum, quàm Dei oculis, Sacramento ac devotione militis ejus, acceptum! Quàm letus illic Christus fuit! Quàm libens in talibus servis suis pugnavit, & vicit!*

XIV.

Et honorificum.

Legimus sæpè historiam Jobi, sæpiùs legi dignam, cum digito Dei scripta sit, & quidem primo inter sacros libros loco, & à Mose, ut plerique existimant, ad solatium Israëliitarum, Ægyptiaca tyrannide afflictorum. Nonne capite 2. videatur, benè attendentibus Scripturæ verba, gloriari de Jobo Deus, & quasi applausum & gratulationem flagitare, quòd eum habeat servum, tam fidelem constantemque, ut in quibusvis calamitatibus iteret, *sit nomen Domini benedictum?* Considerasti, inquit, *servum meum Job*, quàm simplex & rectus sit, & post tanta mala *adhuc retinens innocentiam suam.* Id expendens Tertullianus, libro

K

de

de Patientia, magnificè more suo ait: *Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo exstruxit? Quale vexillum de inimico suo extulit? - Cùm ille homo ad omnem acerbum nuntium, nihil ex ore expromeret, quàm, Deo gratias... Quid? Ridebat Deus. Quid? Dissecabatur malus. Cùm Iob immundam ulceris sui redundantiam magnâ equanimitate distringeret: cùm erumpentes bestiolas inde, in eosdem specus, & pastus, foraminosa carnis ludendo revocaret. Accidit in illo mirandæ tolerantia Heroë, quod designabat Seneca, libro de Providentia: *Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excepit, si leonis incursum imperterritus pertulit, tantòque spectaculum est gratius, quantò id honestior fecit... Ecce spectaculum dignum ad quod respiciat intentus operi suo Deus: ecce par Deo dignum, vir fortis, cum malâ fortunâ cõpositus, utique si & provocavit.**

xv.  
*Mala an  
optabilia.*

Adeò gratum esse Deo spectaculum Seneca existimat, congre-  
dientis cum calamitate viri fortis,  
ut illam non excipi modò, sed etiam ultro  
laceffi



laceffi & provocari velit: paullò aliter  
quàm scripferat epiftolâ 67. *Non sum  
tam demens, ut agrotare cupiam: sed si agro-  
tandum fuerit, ut nihil intemperanter, nihil  
effeminate faciam, optabo. Ita non incom-  
moda optabilia sunt, sed virtus, quâ perfe-  
runtur incommoda.* Sic tunc Seneca sen-  
tiebat. At Christianus, imò verò, in-  
quiet, ipsa incommoda optabilia sunt  
virtuti perficiendæ, & gloriæ gaudioque  
Dei, si sic loqui fas est, augendo. Desi-  
deravit Christus, cùm dixit se coarctari,  
id est votis affectibusque urgeri, & strin-  
gi, donec baptismus suus, sic Passionem  
vocabat, perficeretur. Desideravit Vir-  
go, quæ, ut moriente filio plus doloris ex  
conspectu hauriret, *stabat juxta Crucem,*  
&, quod de Christo Tertullianus dixit,  
*saginari volebat voluptate patientia.*

XVI. Desideravit exemplo utriusque  
*Sancti de-* Catharina Genuensis, quæ c. 50.  
*sideravere.*

Vitæ, inter extremos & acerbis-  
simos dolores dicebat: sunt anni sex su-  
pra triginta, ex quo me amor illuminasti,  
ab illo tempore nihil desideravi, nisi pati

intus & foris. Desideravit Catharina Senensis, quæ rosis neglectis spinas elegit. Desideravit Teresa, cui familiarissima vox erat, & intercalare in ipsis cantibus verbum, *aut pati, aut mori*. Desideravit Petrus de Alcantara, cujus apud Deum fermè quotidiana fuit petitio, ut sine afflictione aliqua numquam esse sineretur. Desideravit Alexander Luzzagius, D. Carolo Borromæo inter intimos amicorum, cui consuetum unico sæpè calami ductu scribere ter, *Pati, pati, pati*. Desiderarent Beati genii, si qua in beatitudinem posset irrumperè patiendi occasio: quandoquidem, ut B. Franciscus Salesius censuit libro 5. epist. 38. nisi invidere nequirent, proculdubiò inviderent homini, pro quo pati Deus voluit, & qui pro Deo pati potest. Desiderari vult ab omnibus eximie perfectionis studiosis D. Ignatius, cum in tribus sanctimonie, seu humilitatis ut ipse loquitur, gradibus, illum summo loco ponit: infimum esse, horrorem quorumvis peccatorum, quantumvis veniabilium, præ morte ipsa: medium, indiffe-

indifferentiam mentis ad eventa quævis aspera aut suavia, prout honor Dei exigeret: tertium propensionem majorem ad aspera quàm ad suavia, quamvis inde ad gloriam Dei nîl aliud accederet, quàm imitatio Christi. Si nobis nondum satis animorum est, ut illuc aspiremus, consistamus saltem in altero gradu, & in quamvis partem Deo placuerit, parati sumus: Davidis exemplo, libri Regum 2. cap. 15. generosè pronuntiantis, & ex animi sententia. *Si autem dixerit Deus, non places, præsto sum, faciat, quod bonum est coram se.*

## SECTIO SECUNDA.

Fructus alter,

*Meritorum seges amplissima.*

I.

*Gloria hominis ex Dei voluntate.*

**G**Loriam Deo accedere diximus, ex viri boni, Deo sese ubique aptantis, spectaculo: nunc etiam ipsi viro bono maximam inde gloriam nasci ostendemus, gloriam, inquam, veram ac germanam. Admirationi sit apud homines

vir fortiter calamitosus, laudetur, memoratur, etiam longè ad feram posteritatem: gloriosum id aliquis laudum aucupator putaverit. At nos illam omninò gloriam ponderamus, quam apud Deum mereatur voluntas bona. *Gloria*, inquit Siracides Eccli. cap. 23. *magna est sequi Dominum, ducentem quacumque lubuerit, per amœna, per lutosa; per plana, per salebrosa; per mollia, per aspera.* Gloria certè magna hæc est: cum excelsius nihil homini possit contingere, quàm placere Deo, ejus approbationem mereri, favoremque, ac gratiam sibi conciliare. Eadem itaque operâ homo & suæ gloriæ laborat, & divinæ. Qua de re eleganter Augustinus libro 1. de Moribus Ecclesiæ Cath. cap. 13. explicans istud ad Rom. cap. 13. *Ipsi gloria, &c. Quid est, inquit, ipsi gloria, nisi ipsi optima, & summa, & latè patens fama? Quantò enim melius atque diffusius diffamatur, tantò diligitur & amatur ardentius. Quod cum sit, nihil aliud ab humano genere, quàm certo & constanti gradu in optimam vitam & beatissimam pergitur.*

II. *Et utilitas.* Multa sunt, cur agere ac pati in Dei causa longè consultius & optabilius sit, quàm in hominum quorumcumque, quantumvis potentium, gratiam. Ex præcipuis capitibus unum est, quòd hi plerumque non subditorum commodum intuentur, cùm illis pericula imperant, sed sibi solummodò consulunt. Ita Davidem Saul, Uriam David discriminibus objecere. Deus verò subditis suis in hac vita nihil quidquam imperat, patiendūve offert, quin illorum utilitas gloriæ suæ conjuncta sit: ut quisquis Deo servit, simul serviat sibi: & qui gloriæ divinæ patitur, commodo suo patiatur. Amabili Dei bonitate id factum: qui cùm homines ad obsequia sua citra ullam mercedem, aut spem utilitatis, potuerit obstringere; ita tamen omnia contemperare maluit, ut quod Deo honorificum est, simul sit homini salutiferum: quemadmodum Eucherius sapienter ac piè epistolâ ad Valerianum expendit.

III. *Societas Dei & hominis.* Initur frequenter inter mercatores societas negotiationis, cujus

regulas Arithmetici tradunt, ut pro portione collatæ vel pecuniæ, vel operæ, quod existet lucri inter socios dividatur. Eò respexisse Joannem quidam existimant 1. epist. cap. 1. ubi dicit: *Si in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad invicem.* Negotiandi consortium cum Deo mortales omnes, quotquot amici ejus sunt, inière. Non Deus solus, non homo solus laborat: qui enim te, ô homo, fecit sine te, non salvabit te sine te. Confert Deus impensas omnes in negotiationem, *operans*, gratis tum excitantibus, tum comitantibus, *in nobis & velle, & perficere, pro bona voluntate*, ad Philip. 2. Homo industriæ aliquid commodat, gratis utitur, talentis sibi donatis alia superlucrari conatur. Negotiationis totius fructum partiuntur inter se socii: Deus qui plus multò in commune contulit, gloriâ solâ contentus, lucrum omne & commodum homini relinquit, id est, omne beatitudinis æternæ meritum. Agnoscat homo sese facultates omnes animi & corporis, & rectè illis utendi gratiam.

tiam à Deo accepisse, nihil attulisse de suo, quàm tenuem liberi arbitrii flexum; hoc gratitudinis & gloriæ tributo illi satisfecerit; cætera emolumenta, à liberalissimo & optimo domino ac socio concessa, sui juris faciat.

## IV.

*Conformitas  
cum Dei vo-  
luntate qua-  
stuosissima  
negotiatio.*

At verò quodnam negotiationis genus utillimum est? Neque enim omnia sunt æqualiter quæstiosa: plurimumque interest mercatoris scire ad lucrum, ubi operam fructuosius collocet. Facillimè tibi indicavero: in promptu est: passim nota & exposita utillima negotiationum omnium. Artes nostras non abdimus, uti mercatores faciunt, ne alii in lucra sua viis iisdem invadant. Nihil ad mercimonium spiritale; & ad comparanda lucra meritorum, compendiosius usquam invenies, quàm conformationem voluntatis humanæ cum divina in eventis omnibus, præsertim ubi adversa ingruunt. *Alia est claritas solis, alia lune, alia stellarum, & stella à stella differt in claritate, teste D. Paulo 1. ad Corin. cap. 15. Varii sunt*

beatitudinis gradus: varii utique & meritorum, quibus beatitudo respondet. Placet Deo maceratio corporis, accepta est oratio, jucunda eleëmofyna: meretur mercedem temperans, compensabitur justus, vir obediens loquetur victorias: magis tamen placebit merebiturve nullus, quàm qui ad singula acquiescere Deo, & gratias agere consuêrit. Jobus fuerat oculus cæco, buccellam solus non comederat, viduæ oculos exspectare non fecerat, misericordia cum illo de ventre matris egressa fuerat, plus tamen quàm unquam Deo placuit paucis istis voculis, inter perpeffu aspera emissis, *sit nomen Domini benedictum*. Id non timidè affirmo, quandoquidem in excelso consistunt patientiæ gradu, qui Deum etiam in malis laudare consueverunt. De patientia verò generatim pronuntiavit Bonaventura, libro de gradibus virtutum cap. 24. *Perfectius est adversa tolerare patienter, quàm bonis operibus insudare*. Et Blosius Institutionum spirit. cap. 8. *Etiam exigua molestia, propter Deum tolerata, incomparabiliter*

ter



*ter prestantior est, quàm sint multa & grandia bonorum operum exercitia.*

V. *Quæ voluntas perfectissima.* Interpretetur forsàn quispiam, isthæc dicta cum exaggeratione, ut nonnumquam ascetici & pii scriptores solent. Auctoritati itaque eatenus fidem tribuamus, quatenus rationes evicerint. Primam hanc statuo. Eò merita actionum majora sunt, quò à perfectiore voluntate proficiscuntur. Eò autem voluntas creata perfectior est, quò magis ad voluntatem increatam accedit, eique sese applicat & accommodat, id volendo quod Deus vult, eoque fine quo vult Deus, id est propter ipsum. Quemadmodum enim Intellectus divinus veritatis omnis regula est, sic voluntas divina bonitatis: quomodò falsum esse nequit, quod illi conforme est, ita nec malum quod ad hanc dirigitur. Imò sicut eò quidlibet verius est, quò propiùs summæ veritati conjungitur: sic tantò melius est, quantò viciniùs ad bonitatem infinitam admovetur. Quàm simillimum prototypo exemplar, absolutissimum est: murus, si

exactissimè perpendiculo respondet rectissimus: pavementum quò ad normam aptius, eò planius. Quæ planissima, rectissima, consummatissima voluntas, nisi quæ prototypo, amussique, ac normæ accuratissimè conformatur? Ita meritò censuit Augustinus ad illa Psalmi 32. verba, *Rectos decet collaudatio. Quid est recti? Ut nihil illis displiceat, quod fecerit Deus: possint & in adversis Deum laudare, & dicere, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Tales rectos decet collaudatio, non primò laudaturos, postea vituperaturos. Discite gratias agere Deo, & in prosperitatibus, & in adversitatibus. Discite habere in corde, quod omnis homo habet in lingua, Quod vult Deus.*

VI. Altera ratio, ad priorem accedens, ex Doctoris Angelici doctrina elicitor 1.<sup>a</sup> 2.<sup>a</sup> quæst. 92. art. 1. in corp. *Cujuslibet subditi virtus est, ut benè subdatur ei, à quo gubernatur. Sicut virtus irascibilis & concupiscibilis in hoc consistit, quòd sint benè obedientes rationi. Et per hunc modum virtus cujuslibet subditi est, ut benè*

*benè subjiciatur principanti. Et 2.<sup>a</sup> 2.<sup>a</sup> quæst.*  
 8. art. 7. in corp. *Qualibet res perficitur per*  
*hoc, quòd subjicitur suo superiori, sicut corpus*  
*per hoc quòd vivificatur ab anima, & aër per*  
*hoc quòd illuminatur à Sole. Quam D.*  
 Thomæ doctrinam sic intelligo, ut infe-  
 rius, subditumve, eo ipso quòd imperan-  
 ti, & superiori suo, subjicitur; tum se de-  
 monstret perfectionis aliquid habere in  
 suo genere; tum perfectionis incremen-  
 tum à superioris imperio vel operatione  
 accipiat. Nam vis facultásque, ac perfe-  
 ctio ipsa superioris, eò amplius sese sub-  
 dito infundit ac communicat, quò minùs  
 illius actioni & influxui ab hoc resistitur.  
 Appetitum inferiorem ejusque affectio-  
 nes, si in rationis potestate sunt, & ad ejus  
 nutum obedienter moventur, jam tunc  
 ex se ad perfectionem accedere sentimus,  
 & in dies obedientiâ perfici. Corpus eò  
 magis sanum & absolutum esse agnosci-  
 mus, quò animi functionibus & imperiis  
 obsequentiis est: eisdemque obsequiis  
 exerceri artus, firmarique, experimur.  
 Aërem tantò puriorem esse, & simplicio-  
 rem,

rem, ac magis suum intelligimus, quantò lucem excipit apertius, transmittitque facilius: eademque luce videmus puritatem ejus non conservari tantum, sed etiam augeri. Istis, quæ exempli causa à D. Thoma adducuntur, adde quotidiana in artefactis experimenta. Eò machinarum rotæ secundariæ & administræ finem suum melius assequuntur, quò ad primæ motum sese promptius volvunt: eò habilior currus est, quò temoni obsequentior: eò melior navis, quò ad gubernaculi velique flexum velocior. Ita in homine ejusque voluntate, erga Deum voluntatemque divinam, res habet. Tantò enim perfectior homo est, magisque ac magis perficitur, quantò veriùs & cordatiùs ubique, & ad omnia, pronuntiare potuerit illud Psalmi 61. *Nonne Deo subiecta erit anima mea?* Dum enim se subiciet; tum sanitatem suam ipsa obediendi promptitudine testabitur; tum vim perfectionemque gubernantis, simul cum ejus motu & impulsu in se transfusam, excipiet.

VII. *Altissima  
Caritas.* Adde rationem tertiam, prioribus affinem, iisque connexam: ibi plus esse perfectionis ac meriti, ubi plus est caritatis & amoris divini. Quemadmodum enim, si caritas abest, ne excelsissima quidem virtutum heroicarum opera profunt quidquam: ita, si adest, contactu suo inaurat omnia, & meritoria facit, etiam minimas indifferentesque actiones. Atqui nullum est consummatae caritatis certius argumentum, quam voluntatum conjunctio. *Nam eadem velle, & eadem nolle, inquit Hieronymus, haec demum firma amicitia est: Si eadem scilicet velis ac nolis in amici gratiam, non in commodum tuum; sive, ut vulgò loquimur, si amicitiae amore movêris, non concupiscentiae. Desideras intelligere, quam à vidua Ruth foerus sua Noëmi amaretur? Audi dicentem cap. I. v. 16. Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si non sola mors me & te separaverit. Sic Eliæ adhærescebat Elifæus lib. 4. Regum cap. 2. Vivit Dominus, non derelinquam te. Judicavere Josaphathum intimè ac sincerè Joram.*

mo conjunctum, qui has ejus voces excepere lib. 4. Regum cap. 3. *Qui meus est, tuus est: populus meus, populus tuus: & equi mei, equi tui.* Utatur Christianus ex animo erga Deum similibus loquendi formulis; dubitaret nemo, quin maxime Deum diligat; &, quia ex caritate meriti pretium maxime augetur, quin plurimum mereatur: etsi meritum non querit; quia non se spectat, sed Deum.

VIII. Bernardus serm. 1. in Cantica, *Canticum Canticorum.* titulum illum expendens *Cantica Canticorum*: primum ad literam dicit, sic vocari eximie ac superlativè præ aliis scripturæ Canticis: quæ nudè ac simpliciter, sine comparatione vel prælatione ullâ, Cantica solummodò nominantur, uti Canticum Mosis, Annæ, Debboræ, Israëlitarum. Morali deinde sensu subjicit: in Vita spirituali & Christianâ, genera Canticorum esse varia: Canticum poenitentium, Canticum ad vitia debellata, Canticum ad comparatas virtutes, Canticum ad actiones singulas ex virtute factas, nam *cantabiles mihi erant justificationes*

tiones tuæ in loco peregrinationis meæ: isthæc vocari posse Cantica graduum. Sed est, inquit, Canticum, quod ex sui singulari dignitate & suavitate meritò cunctis, quæ memoravimus, & si quæ sunt alia, antecellit: & jure hoc appellaverim Canticum Canticorum.. Experti recognoscant, inexperti inardescant, desiderio, non tam cognoscendi, quàm experiendi. Non enim est strepitus oris, sed jubilus cordis: non sonus labiorum, sed motus gaudiorum: voluntatum, non vocum consonantia. Non auditur foris, neque enim in publico personat: Sola quæ cantat audit, & cui cantat, id est sponsus & sponsa.. Est quippe nuptiale carmen, exprimens castos jucundòsque complexus animorum, morum concordiam, affectuum consensionem.

IX. *Quantum patientia meritum.* Theologia quartam suggerit rationem, aut si voles additamentum aliarum. Communis in scholis sententia est, ubi par est voluntas, seu propositum, aut intentio, actu exteriori meritum valdè augeri. Exempli causâ, de duobus, ex æquali caritatis actu inæqualem eleemosynam largientibus, plus

plus apud Deum mercedis habiturum, qui plus dederit: de duobus, pro pœna culpis debita satisfacere fatagentibus, jejunantem unum, altero non jejunante, plus facere. Atqui inter opera externa nihil augendo merito accomodatius, quàm advenientes nobis extrinsecùs calamitates, & aspera quævis, voluntati nostræ aut propensione adversa. Primum enim ex eo ipso quia adversa sunt, difficilia sunt, contraque niti oportet. Deinde ex optione nostra non veniunt, nihilque habent amoris proprii, quo pleraque operum nostrorum vitiantur, admistum. Hinc Bernardi verissima vox est, epist. 7. *Vera patientia est, facere quod non libeat: pati, vel agere, contra quod libeat.*

X. *Quanti pretii adversa.* Etiam si ex illis rationibus bene ponderatis pretium tolerantium pro Christo adversorum satis intelligi possit: supervacuum tamen non fuerit, æstimatorum peritorum judicia exquisisse. Qui Caroli Audacis miserè interempti gemmatum annulum, provincie ut aiunt integræ pretio contrà æstimabilem,



mabilem, repererat, argenteo imperiali aut circiter divendit, quia rem suam nec nôrat ipse, neque ab intelligente didicerat. Ne spiritualis mercimonii res nimis parvi fiant, & prodigè distrahantur, indicatio illarum à spirituali homine, qui omnia dijudicat, petenda est. Ejusmodi fuit, avorum nostrorum memoriâ, Ludovicus Blofius, qui, in libello de Consol. Pusillanimorum, moribundum instruens, quo se pacto ad mortem comparet, post propositam patientis Christi considerationem, D. Virginis patrocinium, aliaque id genus, subjicit exercitium Resignationis cum hac maximæ suavitatis sententia: *Si ager sese ex pura dilectione, cum perfecta sui resignatione, ad omnem pœnam, pro honore divine justitiæ tolerandam, animo spontaneo obtulerit, ipse neque infernum, neque Purgatorium subibit, etiamsi solus omnia totius mundi peccata commisisset.*

XI. Si cui nimium dixisse Blofius videbitur, comparet & expendat cum ejus verbis ista Pauli, 2. ad Corint. cap. 4. *Momentaneum, & leve tribulationis*

*bulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Brevius aliquid dixisse momentaneo non potuit, addit tamen & leve, ne de gravissimis malis agi existimes. Levi tamen isti malo pondus gloriæ decernitur: momentaneo æternum rependitur: & id quidem supra modum in sublimitate, excedens omnem cogitationis vim magnitudine sua, ac duratione. Æstima itaque, quanti sit pretii quamvis exigua patientiæ materia, cui compensandæ vix tota ipsa suffectura est æternitas. Argento & auro, metallorum nobilissimis, virtutes in scriptura adumbrari notissimum est, auro nominatim caritatem. Idcirco in Salomonis templo, præsertim in Sanctuarii adytis, quibus consummatissima virtus significabatur, aurea omnia: & civitatis cælestis, ubi perfecta caritas regnatura est, plateæ omnes sunt aurum mundum, sicut vitrum pellucidum. Quid auro, inquis, pretiosius? Quid caritate locupletius? Demonstravit Paullus, momentaneum & leve tribulationis. Ostendit Hieronymus,*

mus,

mus, in cap. I. Ezechielis, ad illa verba, *de medio ignis, quasi species electri. In medio ignis, inquit, & tormentorum fit electri similitudo, quod est auro argentoque pretiosius: ut post iudicium atque tormenta, qua patientibus tristia videntur ac dura, pretiosius electri fulgor appareat, dum Providentiâ Dei omnia gubernantur, & , qua putatur pœna, medicina est.*

XII.

*Pro omnibus virtutibus est cõformitas.*

Audio objicientem: verum quidem, ab adversis conformiter voluntati divinæ toleratis meriti multum esse: at multum etiam meriti decedere, cum virtutum aliarum exercendarum materia, occasiõve, subtrahitur. Pauper, caret eleëmofynæ pretio: æger, orare nequit, jejunare non valet: tenuis ingenii & auctoritatis nullius homo, præsidio oppressis esse non potest, non erigit abjectos, non solatur mæstos, non docet ignaros instruitve consiliis, quæ tamen caritatis exercitia maximi apud Deum esse momenti, indubitatum est. Isthæc objicienti, & quantum potest ejus generis opera multiplicanti, & exaggeranti

ranti, ad singula respondero: velle potest pauper quod Deus vult, plus est quam stipem largiri: velle potest æger quod Deus vult, plus est quam orare & jejuna- re: velle potest idiota quod vult Deus, plus est quam Apostolicum munus fungi, & se in proximi obsequia impendere ac superimpendere. Nulla enim voluntas perfectior, quam quæ Dei voluntati conformior, ei que magis subjecta: amoris in Deum & submissionis testificatio nulla expressior, quam idem velle. Quæ diximus probationi sufficiunt. Addere tamen possis, quod Cæsarius libro 10. cap. 6. narrat, & ex eo Drexelius, Heliotropii lib. 3. cap. 1. De religioso quopiam miraculorum patratore, eò mirando magis, quòd nil eximie virtutis ostenderet. Rogatus à superiore quid hoc sibi vellet, & ipse mirari se dixit: aperuit tamen denique, studere se conformandæ in omnibus voluntati suæ cum divina: eo que interrogationibus perductus est, ut ad incendia, latrocinia, aliaque infælicia eventa sese vix commoveri fateretur: inò de futuris rebus

rebus adeò parum angi, ut ne de infælici quidem æternitate esset sollicitus. Si enim eò damnandus foret, aliud nihil sese postulaturum à Deo, quàm ut de se fieret æternitate tota, quidquid voluntas divina decrevisset: tantum ipsi hoc daretur, ut æternitate tota constaret ipsi eadem voluntas, quæ modò, ex Dei voluntate suspensa, & in ea conquiescens. Intellecto illo perfectæ voluntatis ac consummatæ virtutis miraculo, desuit interrogator mirari miraculorum patratores.

### SECTIO TERTIA.

Fructus tertius,

*Excelsa tranquillitas animi.*

I.  
*Pax animi  
 beatitudo  
 summa.* FERUNT Alfonso, Neapolis & Aragonum Regem, interrogatum, quæ summa sit mortalis hujus vitæ fælicitas, respondisse: non aliam videri majorem, quàm si quis semel ex animo Dei manibus sese permiserit, &

rit, & ab eo eventa singula vitæ mortalis excipiat. Rectissimè istud quidem. Tranquillior enim ejusmodi homine ac quietior nemo est, cū in ipso fine omnium ac suo conquiescat, & stabili nixus stabilitatem, quanta hic haberi potest, adipiscatur. Major autem tranquillitate, quiete, stabilitate, quæ omnia voce unicâ Pacem animi nominamus, fælicitas hîc nulla est. Quamobrem D. Paullus, posteaquam Philippensibus commendavit, ut semper in Domino gaudeant, subjicit, *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra*: quasi dicat, quidquid vobis gaudiorum optavi, in pace situm est: nil illâ serenius, nil inter humana optabilius: summa est illa votorum meorum, & exquisitissima hujus vitæ beatitudo.

II.  
*Intus est.* Quis autem pacem hanc beatam possidet, nisi qui non turbatur? *Pacem*, inquit Christus, Joannis cap. 14. *relinquo vobis*, ô discipuli carissimi, istud vitæ hujus patrimonium à me accipite, interim dum pacis æternæ hæreditatem expectatis: *pacem meam do vobis*. At quomo-

quomodò illam teneamus inter fluctuationes perpetuas, inter visu aspera, perpeffu horrida, quæ nobis vaticinatus es? *Non quomodò mundus dat, ego do vobis: non in externis hæret: intus est, in mente est: tumultuentur circa vos humana, bona auferantur, ingerantur mala: pax nihilominùs vobis constabit, modò non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Ecquis verò turbationem inter medias turbas non admittat; quis inter pavenda non timeat? Quisquis bona vitæ hujus non amabit, nisi quatenus Deus voluerit: qui uni divinæ voluntati affixus, cætera ut ex illâ suspensa intuebitur, accipere dimittere paratus, quando illi placuerit.

III. *Turba à vanis desideris.* Dicta hæc tibi à Christo, Christiane. Pacem habebis, si non turbetur cor tuum. Non turbabitur cor tuum, si vanam formidinem, aut, quæ formidini affinis est, tristitiam excutias: utramque proculcabis, si inania desideria, & spei humanæ frivola, vel penitùs ex animo abjeceris, vel parvi, ut sunt, feceris: Originem tranquillitatis

ut deprehendas, scrutare inquietudinis scaturiginem: *Contrariorum enim contraria est ratio.* Non dubitâris ex tuâ ipsius experienciâ, ni fallor, non aliam esse tibi metuendi causam, nisi quia nimis desideras: non aliam mœerendi, nisi quia malè amas. Augustinus Sermone 2. de verbis Apostoli, exponens illud ad Eph. c. 5. *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt: Dies, inquit, malos duæ res faciunt, malitia & miseria.... Cui autem molesta sunt tempora, si homines sibi non sint molesti? Prorsus ita est: nihil homini molestius seipso: cum se turbidis cupiditatibus vexat, aut inquietis affectibus torquet. Neque interest, exiguane an magna sint, quæ nimium vel expetuntur vel diliguntur. Possit anachoreta ligneo vasculo vehementius affici, quàm D. Severinus supellectili sericæ & argenteæ, uti in hujus Vita apud Surium narratur. Possit puella delicata, aut puellus comptulus specillo vel pulvisculo magis capi, quàm Hesther mundo omni muliebri & ornatu Regio, quemadmodum ipsa de se apud Deum cap. 14. profite-*



profitetur. Quantula ergo cumque res fuerit qua tenêris, si nimium tenêris, turbarum tibi domestica & assidua occasio est. Quàm multa intercurrere possunt, quæ desiderium vel anteveniant, vel deludant, vel frustrentur, vel fraudent, vel suffocent? Quanti inde metûs ac tristitia, & illorum cognata turma invidiæ, iræ, spes, desperatio, angor, ægræ mentis fluctuatio, aliique intestini carnifices? *Non potest labor finire, nisi hoc quisque diligat, quod invito non potest auferri, ut Augustinus monuit in Psalmum 7. Torrente, quamdiu nihil obicis occurrit, vix placidior rivulus est: at ubi eluctandum est per saxa obstantia, furias fremitu & spumis egurgitat.*

IV. *Voluntati hominis Deo conjuncti nõ resistitur.* Itaque perpetuâ pace frui nequit, nisi qui vel desideria habet in potestate, vel cujus desideriiis objici impedimentum non potest. Sic autem solus ille est, qui id statuit & didicit unicè velle, quod Deus vult, sive præsentia sentit, seu præterita meminit, sive futura prospicit. In cisternam à

fratribus cum Josepho demittendus, deprecabitur quidem: sed si nihil proficiet, ipse sibi quietus dicet, Deum sic voluisse. Ægrotante filio, vota pro ejus salute faciet, ad Davidis exemplum: at, eo demortuo, siccabit lacrymas, quia constitutum ipsi est, nihil desiderare extra Dei voluntatem, de qua jam ex eventu constat. Mittet cum Josaphatho classes in mare, & salvas esse volet: sic tamen, ut quando contractæ fuerint in Asrongaber, à Deo id evenisse intelligat, accinatque tam pacatus, quàm post victoriam, *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.* Militem instruet, ordines disponet, omnia boni ducis implebit officia: sed sic, ut de successu securus dicat cum Machabæo, *Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* Quidquid vult homo, in eum modum animo comparatus, semper accidit: id enim evenit, quod Deus vult: ille autem nihil vult, nisi quod vult Deus. Vult quod fit, vult quod est, vult quod erit, vult quod alii sunt, eruntque, vult omnia præter peccatum: imò cum  
pecca-

peccatum Deus permittat, nec permittat, nisi aliquomodo volens, & ipse sese aptat permittentis voluntati, finitque ab aliis fieri, quod prohibere non potest. Hunc cupiditati ac voluntati modum ratio posuit, religio firmavit; ut quod in nobis est, serio cum Deo velimus; quod in nobis non est, quietè à Deo excipiamus, vel expectemus. Sic fuit cantatissimus ille mendicus, qui, ex Tauleri narratione multorumque aliorum deinceps, malum nullum unquam sibi diem obtigisse affirmabat, propterea quod dies omnes eos voluerat, quomodò evenerant. Tales illi sunt, de quibus Salvianus loquebatur l. i. de Provid. *Humiles sunt? hoc volunt. Pauperes sunt? paupertate delectantur. Itaque quidquid acciderit eis, qui verè religiosi sunt, beati esse dicendi sunt: quia inter quantumvis aspera, nulli sunt latiores, quàm qui hoc sunt quod volunt.*

v.  
*Inde tranquillitas.*

Antè diximus, Hierosolymitanæ civitati honorificentissimam appellationem dari ab Isaia cap. 62. *Voluntas mea in ea.* Mens humana, cui ti-

ulus idem adscribi potuerit, *Voluntas mea  
 in ea, verè Ierusalem est, & visio pacis:*  
 posuit Deus fines ejus pacem, & confor-  
 tavit feras portarum ejus. Conquereba-  
 tur Seneca, initio libri ad fratrem Gal-  
 lionem de Vita Beata: Vivere omnes  
 beatè velle, sed ad pervidendum quid sit,  
 quod beatam vitam efficiat, caligare.  
 Caligent alii ad iter beatitudinis: at certè  
 quisquis Dei volūtatem intuetur & amat,  
 in ipsa beatitudine est, quantum mortalis  
 vita capere potest. Non tu fortunâ ipsâ  
 felicior existimes, qui hunc in modum  
 animitus loqui possit? *Deum precor, ut  
 mihi det emori passionum tyrannide liberum,  
 ita ut ipsi sincerè dicere valeam: O Deus,  
 unquamne de consiliis tuis questus sum: un-  
 quamne ausus aliquid reprehendere à te pro-  
 fectorum? Egrotavi, quia voluisti: agrota-  
 vèrè & alii: ego quidem lubens ac volens.  
 Ad pauperiem devèni te volente: paupertate  
 letatus sum. Aliis non imperavi, non eminui:  
 mène idcirco vidisti tristiorè? Nonne leto  
 vultu & alacri mente coram te semper incesi,  
 jussis omnibus tuis obtemperare paratus?*

*Vis modo, ut à confesso & corona discedam: ab eo letus, gratiasque ago, quòd me ad operum tuorum spectaculum admiseris, aliquàmque gubernationis & administrationis tuæ cognitionem dederis. Utinam hæc me cogitantem, scribentem, legentem mors occupet.*

VI. *Etiã in subitâ casibus.* Si tibi nondum in mentem venit, aut in memoriam rediit, cujus illa suavissimæ ac generosissimæ voces sint: rogo te, disquire apud te, à quo profectas esse conjicias. An à Francisco forsan Salesio Gebennensi Episcopo, quem nuntius de carissimi parentis morte, in ipso ad suggestum & concionem ascensu, nîl penitus commovit: cui dilectissimi fratris inexpectatus obitus hæc verba solùm expressit, *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti?* An à D. Carolo Borromæo, quem, inter gravissimos casus, perpetua quies animi, & vultus æqualitas adeò comitata est: ut fidissimi amicorum, ac domesticorum intimi, nullum unquam vel minimi motûs indicium notârint: nisi quod interdum, ubi atrocità

quædam nuntiabatur, indice nasum paulisper confricaret? An eæ voces Christiani saltem cujuscumque tibi videantur, de Providentia divina ad singulos casus cogitare edocti? Ab Epicteto profectæ sunt, apud Arianum, dissertationum l. 3. cap. 3. Ut ab illo, quamvis Pagano, discere possimus, verissimè dictum à Salomone, *Proverb. cap. 8. Non contristabitur justum, quidquid ei acciderit.*

VII. *Quam excelsa.* Ista est, quam Seneca libro de Tranquillitate dicebat, *Alta Securitas*; non in labiis tantum efflorescens, & ad aures facta; non in genis solum picta, & oculis blandiens: sed in intimis animi sita, in corde nata adultaque, & inde ad faciem promicans, compositæ mentis indicium. Qui eam habet, iste, ex Isaïæ sententia cap. 33. *in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus.* Magnitudine animi, quæ D. Thomæ 1. 2. quæst. 66. art. 4. ad 3. & 2. 2. quæst. 129. art. 4. ad 3. *est ornamentum virtutum omnium*: eam ergo animi magnitudine supra omnia mutabilia elatus, &

sub

sub pedibus non modò meteororum re-  
 gionem, & tempestatum, tonitruumque,  
 ac fulminum officinas despiciens, sed cæ-  
 los ipsos ac sidera, nihilque habens supra  
 se nisi Deum, in vivis eo loco est, quò  
 post mortem abîsse fingebatur poëticus  
 ille opilio, *sub pedibusque videns calos, ac  
 sidera Daphnis.* Quare, si fractus illabatur  
 orbis, *Impavidum ferient ruina:* imò ne  
 ferient quidem, cùm excelsitate mentis ad  
 divinam voluntatem applicatæ, sese supra  
 ruitura, adeoque supra ruinas, extulerit.  
 Altiusne evehi possit, ut caducorum la-  
 psum non sentiat, quàm si in ipsa Dei fa-  
 cie, non in sinu tantùm, collocetur? Ibi  
 positos esse viros probos sacer Vates affir-  
 mat, Psalmo 30. *Abscondes eos, ô Deus,  
 in abscondito faciei tue à concurbatione ho-  
 minum, à contradictione linguarum.* In  
 abscondito faciei divinæ sunt, quam even-  
 ta nulla lædunt, nulla mutant, quia ipse  
 sibi Deus sufficiens est, nec rebus indiget,  
 neque à locis pendet, nec temporibus ro-  
 tatur, idem semper & immotus. Ita qui-  
 bus Deus ejusque voluntas sufficit, fa-

ciem cum Stephano Angelicam, imò divinam induere, nec rerum vicissitudinibus fervientem, nec mutationibus obnoxiam, quia ab immutabili colorem suum trahit, statumque.

VIII. *Non tam enim frequens.* Speciosa, inquis, ista sunt & magnificè dicta: at quis in eâ naturæ infirmitate, & rerum affectuumque assidua vicissitudine, eò veniat quietis, & æquabilitatis? Venerat Regius Psalter, cum de se caneret Psalmo 4. *Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ mee, in tribulatione dilatasti mihi.* Non dicit, ut vigilanter advertit Chrysostomus, tribulationem sustulisti: sed in ipsa tribulatione latum, securum, tranquillum cor dedisti: cum quidem in modum, ut, quod de ipso scripsit Hilarius in Psal. 53. *Proditus oret, periclitans psallat, patiens odia gratuletur.* Eò venere Apostoli, quos jam antè Christus præmonuerat, *Videtene turbemini, nolite terreri, oportet enim hæc fieri: itaque ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESU contumeliam pati.* Venere illuc Marty-

Marty-



Martyres, inter minas securi, inter metus intrepidi, inter tormenta doloresque læti: de quibus suum istud, in libro de Mortalitate, ingeminet Cyprianus, *Quanta sublimitas, inter ruinas generis humani stare erectū!* Eò venit D. Martinus, qui cū in latronum turmam incidisset, tam illic quietus stetit, quàm in cœtu monachorum, aut cuneo prophetarum: quia, ut ipsemet ea de re interrogatus respondit, hoc apud se firmissimè statuerat, pati quidquid Deus vellet.

IX. *Etiam in aulis.* Ad idem fastigium ascenderat, inter aulæ delicias natus & educatus,

D. Elzearius Arianensis Comes, qui Neapoli in Provinciam Phocæensem navigans, periclitante per fœdissimam tempestatem navigio, attonitis & emortuis metu cæteris, solus ipse immobilis orare perseveravit. Rogatusque ab uxore, postquam venti posuerant, an in eo terrore homo esse desisset: non equidem, inquit, sed me voluntati divinæ tradideram, paratus, vicem vectorum omnium, hauriri fluctibus, si vitæ nostræ domino placuis-

152 BONA VOLUNTAS  
placuiſſet. Eodem tranquillitatis per-  
venerat, aulicorum togatorum exemplar,  
Thomas Morus: cùm ad nuntium abſum-  
pti incendio horrei frumentorumque re-  
conditorum, uxorem ſtatim per literas  
monuit, ita Deum voluiſſe, iret cum fa-  
milia ad templum actura gratias. Cùm  
autem juffu impii Regis captivus tenere-  
tur, cariffimæ filiæ Margaretæ ſuadenti,  
ut, ad obtinendam libertatem, Regi ali-  
quid & gratiæ daret, timendum enim ne  
nimia conſtantia malis denique obruere-  
tur: graviffimè reſpondit: Contingere  
nihil poſſe, quod Deus nolit: quidquid au-  
tem ille vult, utcumque malum nobis vi-  
deatur, optimum tamen revera eſſe: inter  
calamitatum quarumvis impulfus, de auxi-  
lio Dei nolle diffidere, quantumcumque  
imbecillum ſeſe ſentiret: etiamſi animum  
ſuum conſternari procellarum horrore  
contingeret, memorem tamen illius fore,  
qui cùm mergi cæpiſſet, clamavit, *Do-  
mine ſalvum me fac.* In eâdem animi  
quiete nuper conſiſtebat Chriſtianæ no-  
bilitatis ſpeculum, Gaſto Rentiacus, ex  
iutimo.

intimo animi sensu dicere solitus, accidere nihil posse quod nollet, & quo turbaretur. Nec fortius dicere solitus, quàm facere: cum graves jacturas, molestissimas lites, frequentes morbos, subita incendia, aliâque tristium eventorum, æquali semper vultu, & eodem quo lætitiâ ac fælicitatem aspexerit, ex quo ad excelsam virtutem à Deo vocatus, ejus voluntatem in omnibus cæpit intueri.

X. *Fidendum Deo.* Quid aliquos commemoro? Eò pertigerunt omnes, qui Providentiæ Dei totos sese permisere, & ut id facerent, fiduciam de forti illius ac suavi ductu habuere. Supra petram hanc fundati, inundationibus procellisque obsistunt, dum arenaria ædificia flatibus & aquis subruuntur. Qui enim confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovebitur, etsi aliorum montium cacumina terræmotibus vacillent, hient latera, tremant fundamenta. Nec mirum, cum Sionis habitator & protector sit Dominus, & mentes Sioni similes præsidii sui spe certa contra incurrentia om-

254 BONA VOLUNTAS  
nia stabiliat. Rex Israëlitarum Jehu,  
libro Regum 4. cap. 10. Jonadabo sibi  
occurrenti: *Numquid, inquit, est cor tuum  
rectum, sicut cor meum cum corde tuo.* Cùm  
esse Jonadabus respondisset: *Si est, in-  
quit, da manum tuam.* At ille levavit ad  
se in currum, dixitque ei, *veni mecum.* Ita  
nobiscum agit Deus. Si cor nostrum  
rectum est cum corde ejus, si voluntas  
nostra rectissimæ ejus voluntati aptè res-  
pondet: manu auxilii sui manum infirmi-  
tatis nostræ apprehendit, levat nos ad se,  
curru gratiæ suæ vehit nos, jungit se no-  
bis, & nos sibi, aitque, quod Patriarchæ  
Isaaco Genes. cap. 26. *Noli timere, quia  
ego tecum sum.* Et verò, ut monet Au-  
gustinus in Psal. 36. *Protegitur Impera-  
tor scutatis, & non timet: protegitur morta-  
lis à mortalibus, & securus est: protegitur  
mortalis ab immortalis, & trepidabit?* Nau-  
tæ inter procellas trepidanti fiduciam de-  
dit vox illa temerarii Imperatoris: *Quid  
times? Cæsaris fortunam vehis. Quid  
tu, homo Deo credens & credite, in me-  
diis licet naufragiis & mortibus timeas,*  
qui

qui non hominis unius fortunam vehis,  
sed ab ipsa Dei tui providentia veheris,  
& in ejus gloriæ rate, velut in Noëmi arca,  
navigas ?

XI. Ex generosissimis magnanimi  
*Securitas*  
*fiduciam*  
*sequitur.* Apostoli vocibus hæc una est,  
ad Philip. cap. 4. *Scio humiliari,*  
*scio & abundare: ubique & in omnibus insti-*  
*tutus sum, & satiari, & esuriri, & abundare,*  
*& penuriam pati.* Tantæ æquanimittatis &  
tranquillitatis, per tam varios eventus,  
caussa est, quia *omnia possum in eo, qui me*  
*confortat.* Ei me permitto, ei fido, in eum  
me projicio, qui nunquam derelinquit  
sperantes in se, nec se subtrahit inniten-  
tibus sibi. Christus posteaquam Aposto-  
lis dixit, *Non turbetur cor vestrum, neque*  
*formidet: audistis, inquit, quia dixi vobis,*  
*vado, & venio ad vos.* Quasi diceret: præ-  
sentia mea ac protectio vanos vobis om-  
nes terrores excutiat: adsum, etsi non  
conspiciar; juvo, licet non sentiar; non  
discedo, quamvis discessum minari videar.  
Eleganter Isaias cap. 7. Regi Juda, Reges  
duos Hierosolymæ cum validis copiis im-  
minentes.

minentes metuenti, ait: *Vide, ut fileas, noli timere à duabus caudis titionum fumigantium istorum.* Quid omnia sunt huius vitæ terriculamenta, quàm fumosi titiones, uno disflandi spiritu, uno pedis impulsu proterendi, unius guttulæ aspergine extinguendi, cum Deus voluerit? Idcirco idem Vates monuit, ut speremus in Domino Deo forti in perpetuum: nulla nos hora, momentum nullum, fiducia suavisimæ ac fortissimæ providentiæ destitutos inveniat.

XII. *Et sanitas animi.* Fontes duos attigimus beatæ tranquillitatis: primus profluit intrinsecus, alter affluit extrinsecus: ille existit ex desideriorum moderatione ad regulam divinæ voluntatis: hic oritur ex fiducia protectionis divinæ, quæ hominibus, sese Deo permittentibus, deesse non potest. Siracides, Eccl. c. 30. dicebat, *Non est census super censum salutis corporis, & non est oblectamentum super cordis gaudium.* Sanitate corporis bonum inter corporea majus nullum est. *Valdè vellet, inquit Augustinus Serm. 12. dives letis.*

*Num argenteum mutare cum pauperis cilicio, si aegritudo posset migrare cum lecto. Et Serm. i. de diversis: Quando hanc habet, quid deest pauperi? Quando istam non habet, quidquid habet quid prodest diviti? Quid tamen ista sanitas, communis homini etiam cum draconibus & vermiculis, ut ibidem ait Augustinus, præ gaudio cordis animique sanitate? Corporis sanitas in recta humorum temperie, & membrorum consonantiâ, sita est: animi valetudo consistit in contemperatione affectuum, & dispositione voluntatis Deo obtemperantis, appetitui imperantis. Hoc autem ipsum est, hominem esse bonæ voluntatis. Itaque istiusmodi hominibus proprium peculium est gaudium cordis, sanitas animi, tranquillitas mentis. Vel nusquam in hac mortali vita pax vera inveniri potest: vel ab illis in solidum atque imperturbatè possidetur: ab aliis tam frustra quæritur, quàm pisces in silvis, in mari feræ, ut Boëthius aiebat.*

XIII. *Brevis  
perturba-  
tio pro  
nulla est.* Pergat objicere quispiam, isto-  
rum inexpertus: perpetuam il-  
lam pacem, & æquabilitatem ani-  
mi, longè esse miseræ infirmæ  
mortalitatis sorte superiorem. Etiam  
Jobo, quali tamen in aptanda Numinis  
decretis mente heroi, hæc verba excidisse,  
*Tedet animam meam vitæ meæ.* Etiam  
Eliam, Deus bone quantum virum! vi-  
mæroris appressum dixisse, *sufficit mihi,  
Domine, tolle animam meam, nec enim sum  
melior, quàm patres mei.* Imò & genero-  
sum Paulli, ignei Apostoli, pectus eò ad-  
ductum, ut *taderet etiam reverere.* Ad ista  
respondero: non ideò corpus sanum non  
esse, quia levi interdum catarrho sese ca-  
put exonerat, aut subitâ febriculæ suspi-  
cione arteria succutitur: neque animum  
ideò tranquillum non esse, quia aliquando  
leviculâ vel momentaneâ commotione  
agitatur, mox positurâ, simul sese ad Dei  
voluntatem converterit. Eidem objectio-  
ni Ambrosius simili formâ respondit,  
Officiorum lib. 3. cap. 5. *Esto in illis,  
hoc est in laboribus, aliquid acerbitatis.*

*Quem*



Quem virtus animi non abscondit dolorem?  
 Neque enim profundum mare negaverim,  
 quia vadosa sunt litora: neque cælum luci-  
 dum, quia interdum obtegatur nubibus: ne-  
 que terram facundam, quia aliquibus locis  
 jejuna glareæ est: aut latas segetes, quia in-  
 termistam habere solent sterilem avenam.  
 Similiter puta, beatæ messis conscientia inter-  
 pellari acerbo aliquo dolore: tamen manipu-  
 lis vitæ beatæ, si quid fortè accidit adversi at-  
 que amaritudinis, tamquam sterilis avena ab-  
 sconditur, aut tamquam lolii amaritudo fru-  
 menti suavitate obducitur. Dixerisne pul-  
 crum non esse corpus, quod unicâ verru-  
 culâ nævove notatum est, si partes omnes  
 aptæ inter se, cum grata coloris mistura,  
 respondent? Negaverisne illum esse  
 fontem, etsi aliquando ex imo arenulæ  
 paucillum, cum limpida scaturigine, ebul-  
 liat? Diemne serenum non fuisse affir-  
 mes, si vel uno tantum, ut vocant, minu-  
 to Sol, cætera lucibus, sese oculis tuis sub-  
 duxerit? Neque inficias ieris, animi Deo  
 conjuncti serenitatem, ac tranquillitatem,  
 constantem perpetuamque dici oportere:

re: &, breve interdum tædium subrepat,  
aut pusillanimitas momentanea sese insi-  
nuet, aut mœror illicò desiturus mordeat,  
aut metus statim dissipandus concutiat.  
Quare, ô homo bonæ voluntatis, ut Eli-  
phaz Jobum sapienter monebat cap. 22.  
*Acquiesce Domino, & habero pacem.*

